

potentem esse scio, & posse si velit, me protegere, & iuuare; sed vnde intelligam illum velle? Huic respondet Propheta, ac demonstrat, Deum velle, quia iustus, & misericors est. Et quidem quia iustus est, custodit veritatem in seculum, id est, semper obseruat promissa: promissit autem auxilium sperantibus in se. Item quia iustus est, facit iudicium iniuriarum patientibus, id est, iuste iudicat causam, quam habent iusti aduersus iniquos, & iniquos punit, iustos coronat: quia verò misericors est, dat escam esurientibus, id est, per admirabiles vias prouidentiae suae prospicit inopiam tum spirituali, tum corporali eorum, qui sperant in se.

**VI.** Dominus soluit compeditos, Dominus illuminat caecos.

**VII.** Dominus erigit elisos, Dominus diligit iustos.

Quia non sufficit peregrinantibus ad patriam protegi à latronibus, & alimonia refici: sed necesse est habere pedes solutos, & oculos illuminatos, & totum corpus sanum; ideo adiungit, vt ostendat Deum omnino velle iuuare sperantes in se, Dominus soluit compeditos à compedibus concupiscentiae malae, mortificans paulatim omnes cupiditates: & quia concupiscentia excaecat, Dominus illuminat caecos, praebens lumen sapientiae, & prudentiae interioris: & quoniam ex peccato non sola cupiditas, & caecitas, sed etiam infirmitas orta est, & homo per peccatum similis illi factus est, qui descendens ab Hierusalem in Hierico incidit in latrones, & spoliatus, ac vulneratus semiuivus relictus est; ideo addit Propheta, erigit elisos. Denique adiungit, Dominus diligit iustos, vt homo per gratiam sanatus, solutus, & illuminatus speret perseverentiam de Dei benignitate. S. Augustinus legit, Dominus sapientes facit caecos: & notat, non esse dictum, Illuminat caecos, sed, sapientes facit caecos, ne putatemus, Prophetam loqui de illuminatione corporali. Sed sciendum est, in hebraeo esse, Dominus illuminat caecos,

vt habet nostra lectio, Septuaginta autem verisimiliter, Dominus sapientes facit caecos, vt explicarent hebraicam lectionem non esse intelligendam de caecitate corporali, sed spirituali. proinde utraque lectio laudanda est.

Dominus custodit aduenas, pupillum, & viduam suscipiet, & vias peccatorum disperdet.

Alia metaphora docet Propheta Deum esse adiutorem, & protectorem peregrinorum suorum, qui per viam angustam tendunt ad patriam. Dominus custodit aduenas, qui non sunt ciues Babylonis, nec filii huius seculi; sed peregrini in terra aliena, pupillum, & viduam suscipiet. pupilli sunt homines iusti, destituti humano praesidio, qui Patrem non habent in terris, neque confidunt in vlla re temporali; vidua autem dicitur Ecclesia, quia est quasi vidua, cum virum suum non videat in terris, & multis iniuriis, & calamitatibus exposita sit. Hos pupillos, & hanc viduam suscipiet Dominus in domum suam, tempore suo: & tunc vias peccatorum disperdet, id est, prosperitates Mundi, per quas ambulat peccatores, vt per vias latas, quae ducunt ad perditionem, Deus in consummatione seculi omnino disperdet, ac destruet.

Regnabit Dominus in secula, Deus tuus Sion in generationem, & generationem.

Denique peregrinatione finita, & viis peccatorum cum impiis peccatoribus exterminatis, adueniet Regnum Christi sempiternum Regnabit enim Dominus cum Sanctis suis in secula: regnabit, inquam, o sancta Sion, Deus tuus cum filiis tuis in secula seculorum. Amen.

## P S A L M. CXLVI.

*Titulus, & Argumentum.*

Alleluia.

*Titulus*